

corum in loco praesentium, vocem in capitulo habentium vel maioris partis eorundem fuerit assignata, non obstante consuetudine contraria hactenus in dicta nostra ecclesia observata, quam praesentibus tollimus expresse et sublatam esse volumus omnino, ita quod etiam contra praesens statutum nulli quantacunque praeferat praeeminentia vel dignitate, gratia aliqua de cetero fieri possit aut aliquo modo dispensari. In quorum omnium testimonium praesens statutum seu hanc patentem litteram scribi fecimus et nostri capituli sigilli appensione muniri. Datum et actum in Misna in capella omnium sanctorum anno domini M^o.CCC^o. quinquagesimo tertio, undecima die mensis Martii.

Et nos Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis praedictae statutum suprascriptum consensum nostrum adhibendo expresse per omnia approbamus, ratificamus et confirmamus in ipso praesentibus iure ordinario auctorizantes et in eorundem testimonium nostrum episcopale maius sigillum praesentibus duximus appendendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 470. 1353. 11. März.

Der päpstliche Gerichtshof entscheidet in der Streitsache zwischen dem B. Johann und dem Kloster Dobrilugk wegen der dem Bischof im Kloster in der Fastenzeit zu gewährenden Procuracion zu Gunsten des Ersteren nach ausführlicher Erzählung des Processganges.

In nomine domini amen. Dudum felicitis recordationis dominus Clemens papa sextus ad supplicationem . . procuratoris religiosorum virorum dominorum . . abbatis et conventus monasterii in Doberluch Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis causam seu causas appellationis seu appellationum et negotii principalis, quae vertebatur vertebantur seu verti sperabantur inter dictos dominos abbatem et conventum et eis adhaerentes ex una parte, et venerabilem in Christo patrem dominum Johannem episcopum Misnensem ex altera et omnes alios quorum interest coniunctim seu divisim, super certa procuracione eidem domino episcopo ut dicebatur debita a dictis dominis abbate et conventu, et eius occasione ex altera venerabili et circumspecto viro domino Petro de Talliata legum doctori canonico Carnotensi capellano suo sui que sacri palatii apostolici causarum auditori audiendas et decidendas ac etiam fine debito terminandas cum omnibus contingentibus dependentibus emergentibus et connexis commisit secundum tenorem et formam supplicationis et commissionis infrascriptae, cuius tenor talis est: Supplicat S. V. . . procurator et procuratorio nomine . . abbatis et conventus monasterii in Doberluch Cisterciensis ordinis Misnensis diocesis, quod nuper eidem S. V. pro parte venerabilis patris domini Johannis episcopi Misnensis exposito licet falso, quod abbas et conventus praedicti ratione bonorum, quae in dicta diocesi obtinerent, episcopo Misnensi qui esset pro tempore, cum ad dictum monasterium declinaret, semel in anno procuracionem exhibere tenerentur de consuetudine antiqua approbata et hactenus pacifice observata, et tam dictus dominus episcopus quam praedecessores sui, qui fuerunt pro tempore, extitissent in pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi procuracionem huiusmodi a tempore, cuius contrarii memoria hominum non existeret, et quod abbas et conventus supradicti contra huiusmodi consuetudinem